


Paul Tarnow Martin Hallervord

Disputatio De Indulgentiis : Cuius Capita sunt duo: I. Summa figmenti Pontificiorum de Indulgentiis. II. Refutatio praecipuorum fundamentorum, quibus indulgentiae sunt superstructae

Rostochii: Typis Myliandrinis, 1606


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756517893>

Druck Freier  Zugang



P. Jarnovius.
R. U. theol. 1606.

16



31

DISPUTATIO
DE
INDVLGENTIIS.
Cujus capita sunt duo:

- I. *Summa figmenti Pontificiorum de Indulgentijs.*
- II. *Refutatio precipuorum fundamentorum, quibus indulgentia sunt superstructa.*

De quibus

Ad anniversariam Κολήθειον publicam propositis
AVXILIANTE DEO TRIN.VNO

Præside,

PAVLO TARNOVIO S. S.
Theologiae Doctore & Professore in A-
cademia Rostochiensē

Respondebit


M. MARTINUS HALLERVORDIUS
Osnabrug. Westphalus.

Prid. Kal. Jun. in Auditorio magno, hora 6. matutina
facto initio.



ROSTOCHII typis Myliandrinis Anno 1606.





Doctrina de Penitentia, cuius brevissima *σύνοψις* proposita fuit disputatione proxima, si ex Pontificiorum sententia consideretur, quod à nobis ratione instituti nostri prætermitti non potuit, proximum est sigmentum de Indulgentiis. Quocirca exigente ita disputationum nostrarum serie, id ipsum nunc ad *σύνταξιν* publicam proponere visum fuit: redibimus eadem operâ ad considerandum initium repurgatæ religionis Christianæ, factum à Deo per electum ipsius organon D. Martinum Lutherum ab examine huius sigmenti. Capita nostræ tractationis erunt duo: 1. Brevis summa sigmenti Pontificiorum de Indulgentiis, prout illud à Roberto Bell. lib. 1. est descriptum. 2. Evertio unius de totâ illâ structurâ capicis, quod est instar fundamenti ceterorum: quo destructo, corrunt cetera.

I. SUMMA sigmenti Pontificiorum de Indulgentiis.

I. Pontificiorum opinio, de hac parte ipsorum doctrinæ, octo controversiis comprehenditur: quarum 1. est de Indulgentiarum vocabulo: 2. An sit thesaurus quidam Ecclesiæ spiritualis: 3. Quid sit indulgentia proprie: num solutio, an absolutio, an utrumq; item, à quo vinculo solvat & absolvat. 4. Quotplex sit Indulgentia: 5. Quis earum fructus. 6. Quis possit Indulgentias concedere, & quam ob causam. 7. Quis eas possit suscipere: & quæ dispositio ad eas suscipiendas requiratur. 8. An & quomodo prosint indulgentiæ defunctis.

FI. Indulgentiarum vocabulo alias remissionem Esa. 61. 1. Luc. 4. 18. alias facilitatem 1. Cor. 7. 6. denotari, & utramq; significationem in hoc doctrinæ ipsorum articulo conjungi asserunt. Bell. lib. 1. cap. 1.

III. Hoc velut fundamento signi sive vocis posito, ad signatum & rem progressari, ut Indulgentias esse evincant, duo ostendere & probare conantur: alterum, exstare in Ecclesia thesaurum satisfactionum: alterum, eius dispensandi & applicandi potestatem esse penes summum Pontificem, & ab eo delegatos, & quidem per indulgentias.

IV. In priori tribus hisce velut hypothesibus utuntur: 1. In bonis operibus duplex esse precium, meritum & satisfactionem. 2. Meritum non posse aliis applicari, sed satisfactiones. 3. Satisfactionum Christi thesaurum exstare in Ecclesia inexhaustum. (quod uti secundum scripturam rectè intellectum agnosci-

mus, ita secundum Pontificiorum mentem depravatum rejicimus) ad quem pertineant B. Mariæ, Baptistæ, aliorum Sanctorum, Prophetarum, Apostolorum & martyrum opera ex charitate profecta, & eorundem passionum. cap. 2.

V. In posteriore totidem fulcra adhibent: 1. Satisfactiones Christo & Sanctis supervacaneas applicari posse aliis, qui sint rei luenda pena temporalis: tum quia est communio sanctorum, tum quia Paulus apostolus se impensum iri ait pro animabus auditorum. 2. Ecclesiæ pastoribus concessam esse auctoritatem dispensandi thesaurum Satisfactionum, & concedendi eo modo indulgentias: quod ex Matth. 16. 19. cap. 18. v. 18. Ioh. 21. v. 15. 16. 17. item praxi Ecclesiæ & c. probare nituntur. 3. Satisfactiones Christi, tum per Sacramenta, tum per indulgentias posse dispensari: Sanctorum vero tantum per indulgentias. cap. 3.

VI. Ad naturam & conditionem indulgentiarum definitione explicandam ut commodius deveniat Iesuita, duorum problematum explicationem præmittit: eorum altero explicat: An indulgentia propriè sit solutio sive compensatio penarum luendarum, an mera absolutio judiciaria, an vero utrumq;: quod Bellarmino placet cap. 5: altero ostendit, A quonam vinculorum in tanta eorum varietate, quibus homines in Ecclesia viventes ligari possint, solvantur per Indulgentias. Cum enim alia sint culpa, alia pena, eiusq; vel naturalis vel personalis: & hæc aut internū aut externum forum concernat; statuit ex mente Pontificiorum, per indulgentias liberari homines tantum à reatu penæ in foro interno sive secreto, idq; non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo. c. 7.

VII. His ita explicatis, definitionem talem subiungit: Indulgentia est absolutio judicialis à reatu penæ Deo debite in foro pœnitentiario, extra Sacramentum data, per applicationem Satisfactionum, quæ in thesauro Ecclesiæ continentur. cap. 8.

VIII. Divisiones, quibus ostenditur, quàm multiplex sit Indulgentia, quinq; à Iesuita afferuntur. 1. aliæ sunt aliquot dierum vel annorum; aliæ quadragenar. 2. aliæ sunt partis alicujus penarum, aliæ totius, quæ plenariæ dicuntur. 3. aliæ plena, aliæ plenior, aliæ plenissima, in forma Jubilei. 4. aliæ in vite cursu, aliæ in mortis articulo conceduntur. 5. aliæ sunt temporariæ, aliæ perpetuæ, alligatæ certis locis immobilibus vel mobilibus. cap. 9.

IX. Utlicas omnium indulgentiarum extra & in Jubileo dispensatarum communis est una, penæ temporalis remissio: peculiare earum, quæ in forma Jubilei proponuntur, sunt, facultas eligendi confessarium, ex approbatis tamen: autoritas data confessarijs absoluendi à multis casibus reservatis, multis censuris Ecclesiasticis, mutandi vota in alia pia opera. cap. 10.

X. Tantarum, quas pollicentur, commoditatum, per Indulgentias dispensantur.

dispensandarum jus penes summum Pontificem ubiq; & perpetuo residere volunt: penes episcopos & metropolitanos, unius anni, in dedicatione Ecclesiæ, vel 40. dierum, alijs temporibus; in sua cuiusq; diœcesi & provincia: penes legatos Apostolicos, in omni loco suæ legationis: penes summum pœnitentiarium, 100. dierum spacio: sed hoc postremum magis consuetudine, quam lege. cap. 11.

XI. Vt autem eò certius sciatur, quando rata sit indulgentia, eiusq; fructus, ipsâ impetratâ, subsequantur, ab utraq; parte quedam velut *κρίτη* & certitudinis ponunt. Ex parte conferentis distinctionem negotiorum & causarum attendendam volunt. In ijs enim quæ pendent à jure Ecclesiastico, qualia sunt privilegia eligendi confessarium, qui possit absolvere à casibus reservatis &c. semper esse ratam indulgentiam, etiam sine justa causa: in ijs vero quæ ad reatum pœnæ temporalis coram Deo vel in hac vel in futura vita expiandum pertinent, non esse ratam sine justa causa. Ceterum ad justam causam non requiri, ut opus injunctum sit in se ita satisfactorium, ut planè compenset debitum pœnæ per indulgentiam. ita enim indulgentia esset commutatio, non absolutio: aliquam tamen operis injuncti cum indulgentia proportionem requiri, alij asserunt, alij negant: posteriorum sententiam magis probat Bell. c. 12.

XII. Ex parte suscipientis duo requiri ajunt, teste eodem Iesuita: 1. ut, qui revera fructum ex indulgentijs capere cupit, sit in statu gratiæ. 2. ut perficiat, quod pro indulgentia fuerit injunctum. de posteriore nulla est inter ipsos Pontificios dissensio: de priore aliqua, quam vide apud Bell. cap. 13.

XIII. Deniq; ut amplitudo hujus thesauri, quem venditant, tanto fiat illustrior, defunctis etiam prodesse indulgentias à Pontificijs affirmatur: cumq; de modo, quo id fieri possit, ut nimirum rectè conferantur, & utiliter suscipiantur, nec paucæ nec leves dubitationes occurrant, præcipuas Iesuita excutit, & docet, Pontificem posse ipsas defunctorum animas non quidem judicialiter absolvere, sed per modum suffragij, h. e. offerendo vivorum satisfactionem Deo pro illis & quæ, pro quibus offertur in particulari, non omnibus in communi profit, si causa justa sit pertinens ad honorem Dei & Ecclesiæ utilitatem: & qui suscipit pro defunctis indulgentias, adimpleat opus injunctum: quod facere non potest, nisi sit in eo, de qua antè dictum est, dispositio.

ΑΝΑΣΚΕΤΗ̄ præcipuorum fundamentorum, quibus
Indulgentiæ sunt superstructæ.

I. Hactenus Pontificiorum opinionẽ compendio retulimus: de qua, quemadmodum ipsi eam proponunt, licet nihil probare possimus: tamen unius partis refutationem tantummodo adornabimus: quod eâ rectè institutâ, de ceteris
nulla

nulla esse possit dubitatio. ubi enim ex scriptura ostenderit, Indulgentias, quales Pontificij describunt, esse nullas, simul eversa erunt, quæ hinc fundamento superstructa sunt, omnia.

II. Institutum nostrum duobus modis persequemur: primo probabimus, homini justificato & à peccatis absoluto nullum restare peccatum temporarium, de quibus adversarij loquuntur, vinculum, pro quo soluendo ipse operibus laboriosis Deo teneatur satisfacere: deinde actiones & passiones sanctorum non esse tales, quibus possit Dei justitiæ satisfieri. Unde sequitur, ipsas quoque indulgentias, quæ finguntur talium vinculo esse solutiones, & pro iisdem compensationes ex thesauro satisfactionum Ecclesiæ, esse nullas. tum demum n. indulgentiali medicinæ locus est, ipsis adversarijs concedentibus, si malum quod fingunt, sit in nobis, & bonum, quod comminiscuntur, fuerit in satisfactionum thesauro.

III. Pœnarum temporalium nomine adversarij intelligunt, non naturales, ut vocant, quales sunt morbi, mors, ignorantia, concupiscentia: non fatales sive flagella divinitus immissa, ut bellum, pestis, fames: sed personales, easque temporarias, non in foro externo, sive Ecclesiastico sive seculari, sed interno & pœnitentiæ: quarum luendarum vel in hoc vel in futuro sæculo reus sit iam à culpa peccatorum actualium in Sacramento pœnitentiæ (ut loquuntur) absolutus, & pro quibus per opera laboriosa, vel sponte suscepta vel à sacerdote imposta, satisfieri Deo debeat.

IV. Hasce pœnas, quas comminiscuntur Pontificij, justificatis reliquas, disertis scripturæ testimonijs & rationibus inde eductis esse contrarias ostendemus. Testimonia sunt hæc: Psal. 32, v. 1. Beatus ille, cui transgressio remissa est, & cui peccatum tectum est: beatus cui Dominus non imputat peccatum. Psal. 103, v. 12. Quam longè distat oriens ab occasu, tam longe removet peccata nostra. Esa. 43, v. 12. Ego ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas, propter me, & iniquitatum tuarum non recordabor. cap. 44, v. 22. Delevi tanquam nebulam peccata tua. Mich. 7, v. 19. Abjiciet peccata nostra in profundum maris. Rom. 5, v. 1. Iustificati fide pacem cum Deo habemus per Dominum nostrum Iesum Christum. ibid. v. 9. Iustificati igitur nunc ejus sanguine servabimur multo magis per eum ab ira illa. 1. Ioh. 1. 7. Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato. ibid. v. 9. si confitemur peccata, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniquitate. c. 2. v. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1. Per. 2, v. 24. Christus pertulit peccata nostra in corpore suo super lignum.

V. Rationes ex dictis producemus hæc: Prima: Cui imputatur pœna,

eidem

Idem imputatur peccatum. Iustificatis non imputatur peccatum; E. nec pœnis
VI. Secunda: Quod Christus pertulit, quod longissimè removit, cuius re-
cordari non vult, quod abiecit in profundum maris, quod delevit; ejus pœna
luenda nobis non est. Omnium iustificatorum peccata pertulit, longissimè remo-
vit, in profundum maris abiecit, recordari eorum non vult, imo ipsa delevit.
E. eorum pœna ipsis luenda non est.

VII. Tertia: Si remissa & deleta culpa, remanet pœna temporalis luenda
iustificatis, non habent reconciliati pacem cum Deo, nec servantur sanguine filij
ipsum ab ira. At habet pacem & servatur ab ira. E. non remanet pœna temporalis.

IX. Actiones & passiones sanctorum dum negamus esse satisfactorias pro ullis pœnis iustitiæ divinæ debitæ, intelligimus, quicquid boni vel secundum vel supra præceptum divinum illi fecisse à Pontificijs creduntur, & quicquid mali & adversi patientissimè citra meritum aut debitum, usque idem loquuntur, tolerarunt: quod vel omni, vel aliqua ex parte (quatenus est satisfactorium) ipsis supervacaneum, ne inutiliter pereat, in Ecclesiæ thesaurum voluit esse collectum, & iustificatis pro reatu pœnæ temporalis & relaxatione laboriosorum operum, (quibus vel à sacerdote impositis, vel sponte assumptis satisfacere debebant Deo, cui pœnæ temporalis reatu sint obstructi) per indulgentias applicandum.

X. Hujus assertio, quæ multis erroribus scætet, partes singulas seorsim refellere etsi forte melius sit: tamen cum brevitate studeamus, unum eumque præcipuum in præsentia tantummodo destruemus: quod eo everso ceteros simul ruituros confidimus. is verò est, quod pars adversa actiones passionesque sanctorum satisfactorias statuit: cui nos contradicimus.

X. Sententiam nostram aliquot scripturæ testimonijs imiti demonstrabimus, ex quibus aliquot rationes eductas subjungemus: eademque operâ contrariam demoliamur. Testimonia sunt: Esa. 53. v. 5. correctio pacis nostræ super eum: vulneratus est propter peccata nostra, & livore ejus sanati sumus, Ibid. v. 7. exigitur (pœna) & ipse affigitur. cap. 63. v. 3. Ego solus torcular calcavi, & non est inventus de gentibus quisquam. Rom. 3. v. 24. ut qui iustificentur gratis, ejus gratia per redemptionem (ἀπολύτρωσιν) factam in Iesu Christo. 1. Corinth. 1. v. 30. Qui (Christus) factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Ephes. 1. v. 7. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ipsius. Col. 2. v. 13-14. condonans omnes offensas deleto quod adversum nos erat rituum chirographo. 1. Tim. 2. v. 5. 6. Unus mediator Dei & hominum homo Iesus Christus, qui dedit seipsum precium redemptionis (ἀπολύτρωσιν) Heb. 10. v. 14. una oblatione consummavit in perpetuum sanctificandos. Ratio

XI. Rationibus idem confirmari potest sequentibus: Prima: Si Christus solus est redemptio nostra, qui solus torcular calcavit, solus chirographum rituum, quod contra nos erat, sustulit; nulla hominum opera sunt satisfactoria. At prius. Ergo & posterius.

XII. Secunda: Si Christus in sanctis vivens, & ut vera vitis fructum per eos tanquam palmites suos edens Deo patri satisfacit; non per semetipsum fecit purgationem peccatorum nostrorum. At per semetipsum fecit purgationem peccatorum nostrorum. E. non, ut in sanctis vivit, & per eos tanquam palmites suos efficax est, Deo patri satisfacit.


XIII. Tertia: Omnis satisfactio divinae justitiae (ut adversarij volunt Bell. lib. 4. de poenit. cap. 1.) aut est perfecta aut imperfecta. Nulla operum nostrorum satisfactio est perfecta, quod adversarij largiuntur: vel etiam imperfecta in se & tamē Deo ex pacto & acceptatione placens eo, quo idem volunt, modo: siquidem id nullo scripturae testimonio, quo tale pactum describitur, ostendere possunt. E. nulla est operum nostrorum satisfactio.

XIV. Deniq; Christi satisfactionem, quae ad omnem culpam nostram eluendam & poenam sustinendam per se sufficientissima & per fidem applicata efficacissima est, hoc teterrimo abusu, quo adhiberi fingitur ad compensationem operum laboriosorum, quae justificari Deo debere pro satisfactione poenarum temporalium dicuntur, prorsus inutilem nobis reddi statuimus: quia sectando legem justitiae ad veram justitiam non pervenimus. Rom. 9, v. 31. cap. 11. v. 7. sed inanes sumus à Christo, si in lege justificari volumus. Gal. 5, v. 4.

XV. Atq; haec ad destructionem dogmatis Pontificij de indulgentijs sufficientiant: quae praeterea asserri poterant abominationes ejusdem quam plurimae, quibus violantur praecipui doctrinae Christianae articuli, de Dei justitia & misericordia, de officio Christi redemptoris & salvatoris nostri unici, de peccato, de justificatione, de bonis operibus, de poenitentia, de sanctorum communione, de clavibus Ecclesiae, de cruce & calamitatibus piorum &c. eas, ne longiores simus, omittendas putamus: Deumq; rogamus, ut de iis, quae proposuimus, collationem instituere volentibus sua gratia adsit, nosq; omnes in agnita veritate, magis erudiat & confirmet.

A M E N.







idem imputatur peccatum. Iustificatis non impu
VI. Secunda: Quod Christus pertulit, que
cordari non vult, quod abiecit in profundum ma
luenda nobis non est. Omnium iustificatorum pec
vit, in profundum maris abiecit, recordari eorum
E. eorum pœna ipsis luenda non est.

VII. Tertia: Si remissa & deleta culpa, re
iustificatis, non habent reconciliati pacem cum D
ipſius ab ira. At habet pacē & servatur ab ira. E.

IX. Actiones & passiões sanctõrum
factorias pro ullis pœnis iustitiæ divinæ de
boni vel secundum vel supra præceptum divinum
tur, & quicquid mali & adversi patientissimè ci
idem loquuntur, tolerarunt: quod vel omni, vel
satisfactorium) ipsis supervacaneum, ne inutilit
rum volūt esse collectū, & iustificatis pro reatu po
laboriosorum operum, (quibus vel à sacerdote imp
tis facere debebant Deo, cui pœna temporalis re
gentias applicandum.

X. Hujus assertionis, quæ multis erroribus
refellere etsi forte melius sit: tamen cum brevit
præcipuum in presentiâ tantummodo destruemus:
ruituros confidimus. is verò est, quod pars adversa
satisfactorias statuit: cui nos contradisimus.

XI. Sententiam nostram aliquot scripturæ tes
mus, ex quibus aliquot rationes eductas subjunge
riam demoliemur. Testimonia sunt: Esa. 53. v.
per eum: vulneratus est propter peccata nostra,
ibid. v. 7. exigitur (pœna) & ipse affligitur. ca
lar calcavi, & non est inventus de gentibus quis qu
iustificentur gratis, ejus gratia per redemptionem
Iesu Christo. 1. Corinth. 1, v. 30. Qui (Christus)
iustitia, sanctificatio & redemptio. Ephes. 1, v. 7.
per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum
Col. 2, v. 13-14. condonans omnes offensas delecto
suum chirographo. 1. Tim. 2, v. 5-6. Unus mediat
fusus Christus, qui dedit seipsum precium redemptio
14. una oblatione consummavit in perpetuum sa

; E. nec pœnis
ovit, cuius re
nit; ejus pœna
ngissimè remo
ipsa deleta vit.

poralis luenda
r sanguine filij
na temporalis.
is esse satisfi

us, quicquid
ificijs credun
debitum, ut
quatenus est
clesiæ thesau
& relaxatione
assumptis sa
) per indul

gulas scorsim
unum eumq;
eteros simul
q; sanctorum

demonstrabi
perâ contra
is nostræ su
mati sumus,
solus torcu

24. ut qui
v) factam in
is sapientia,
redemptionem
ratiæ ipsius.
nos erat ri
um homo (e
y) Heb. 10,
Ratio

